

Secundum.

Affectiones sunt positivæ, non privativæ.

Ratio hujus evidens est. Affectio enim est accidens proprium ejus, cujus est affectio. Proprium autem accidens necessario inesse debet suo subjecto, ex cujus essentia per se fluit. Si inesse & adesse debet, abesse non potest, quod privatio importat, quæ dicit absentiam rei in subjecto habili. Ubi tamen notes, nobis sermonem esse de affectionibus corporis naturalis, quas nos dicimus esse positivæ, non privativæ. Ac licet affectiones nonnullæ spirituum videantur privativæ, privativæ tamen voce, positivæ verè re sunt: Sic infirmitas removet in perfectione & essentia terminum & ponit perfectionem summam & interminabilem, ab, in & per ipsam absentiam; Invisibilitas removet objectum sensibile; ponit verò fulgorem eminentissimum lucis essentialis incomprehensibilis; Immenitas removet omnem determinationem ad locum, ut illud planè non admittat, nec loco includatur, nec excludatur; ponit verò existentiam in ipsa essentia intrinsecus & absolutè præsentè & sine ullo alio extraneo, vel extra se realiter existentem; Immutabilitas removet motum tam physicum sive corporis naturâ vel voluntate excitetur, sive animi ut incipiat vel desinat aliquid scire vel velle; quàm ethicum à bono ad malum, aut à malo ad bonum: ponit verò perpetuam identitatem divinæ essentia, existentia & omnium ejusdem perfectionum. Sic incorruptibilitas, immobilitas & alia ejusmodi spirituum attributa negant nomine, re ipsa aliquid ponunt. Unde B. Sperlingius in *Synopsi* rectissimè infert, infinitum & vacuum affectiones facere privativas, non positivæ, esse atramentum inferre rubrum, vitrum ligneum & stramen marmoreum, imò, non-Entis accidentia nonnulla constituere. Esse autem, qui affectiones corporis naturalis positivæ alias, alias privativas statuunt, ipse audiatur *Combachius l. 1. phys. c. 4. p. 103.* Affectiones, inquit, aliæ sunt positivæ, aliæ privativæ. Positivæ quæ per se physicæ considerationis sunt, & à naturæ principiis proficiscuntur, per quæ de subjecto possunt demonstrari. Earum